Zakrzewski Stanislai: Rubus ardens seu Constitutiones Comitiorum generalium à S. Spiritu in die Pentecost. cum Apost. celebratorum.

RVBVS ARDENS,

SEV

CONSTITVTIONES

COMITIORVM GENERALIVM à S. Spiritu in die Pentecost. cum Apost. celebratorũ.

Auctore P. STANISLAO ZAKRZEWSKI, *Canonico Reg. ordinario Prædicatore, ad S. Geor. Warſ.*

Cum licentia Superiorum.



CRACOVIÆ,

Ex Officina Typographica Mattiæ Andreouieñ.

Anno Domini, 1618.

IN STEMMA.



Atrox sydereo dæmon detrusus Olympo
Cum populo Christi, prælia dura gerit.
Mundus adest laqueosq; struit, nec cæca voluptas
Desinit infausta mittere tela manu.
Nunc age sperne minas, vanumq́; repelle timorem,
Hastis ternum hostem pellito triplicibus.

Fr. Stephanus Smolinski.

Jlluſtriß. & Reuerendiß. Dño,

DOMINO GEORGIO ZAMOYSKI,

Epiſcopo Chełmeñ. Abbatiæ Ceruenen. Adminiſtratori perpetuo, Domino colendiſ. & Patri benigniſſ. &c.

P. STANISLAVS ZAKRZEWSKI, Canonicus Reg. Ordinarius Prædicator ad S. Georg. Warſ.

Salutem in Domino.

TRibus potiſſimum inductus rationibus hanc meam Concionem Ill^{mæ} Celſitudini V^{ræ} offerendam in animo decreui Ill^{me} & R^{me} Domine. Quarum prima eſt, dignitas ſplendorque eximius Familiæ nobiliſſimæ Zamoſciadum, cuius fama longè lateq; per omnes mundi partes volitat per ora virorum. Conducit enim vt plurimùm in lucem proferenti labores ſuos claritudo & dignitas eius, ſub cuius nomine & patrocinio liber aſpicit lucem. tum quia occaſio librum vitiis notandi, & inuidia detractioneque perſequendi tollitur, cùm quiſque ſibi metuendum præſumat, illud theonino proſequi dente, quod propugnaculo nominis clariſ-

ſimi munitum, ſplendoreque alicuius celeberrimæ familiæ inſignitum in manus hominum exhibetur, tum quia vir nobilitate generis clariſſimus ſua dexteritate ingenij, laborem illum condecorare & promouere facili negotio poteſt. Familia autem Zamoſciadum quid nobilius? clarius? inſigniuſuè? Hæc eſt Auis ex auibus, vel potius Cymbalum mundi & vt olim locuti ſunt veteres Jouis Germen, pietate, doctrina, fortitudine, omnique virtutum genere clariſſima propago, ex qua ſicut è Troiano equo proceſſere viri bello togaque potentes. Quorum omnium decus & ornamentum Regni firmiſſimum propugnaculum Joannes Zamoſcius Cancellarius Magnus & Præfectus Exercituum fuit, terror hoſtium, Gloria, & decus Polonorum, ſplendor Chriſtianorum, vir omni ſcientiarum facultate, nemini ſecundus cuius memoria ſit in benedictionibus. Reliquit nobis vnicum Filium, ſapientia inſtructiſſimum ſobrietate & grauitate celeberrimum, fortitudine in hoſtes promptiſſimum, multis Regibus & Principibus ob ſingulares animi ſui dotes gratiſſimum & acceptiſſimum, quem non ambitio ſed virtus in ſede Palatinatus Podolien. collocauit. Felix viuat Thomas Zamoiſcius. Sed & tu Ill^me Domine ex hac Familia trahens originem, eam quoque ſplendore dignitatis Epiſcopalis condecoraſti, addens ſplendori lucem auro pretioſum lapidem, gloriæ claritudinem. Altera ratio eſt beneficia ſingularia, quibus Matrem noſtram (Monaſterium Ceruenen. intelligo) affeciſti

cisti, nam cum non opus esset nostræ dignas persoluere grates. tamen ad manifestationem gratitudinis nostræ hoc exiguum munus vt olim quidam Persa Artaxerxi Regi aquæ poculum nomine omnium Canonicorum Regularium offero. Fecisti enim nobis magna & mirabilia. Quid ita? Templum nempe Cerueneń. desolatum, vetustate corruptum, ruinæ magna ex parte subiectum. Illustris: Domine sumptibus & impensis propriis magna cum omnium admiratione & gloria nominis tui reparasti, mirandum in modum sculptura generis varij condecorare iussisti, contra vim pluuiariam tectum eius communisti. Altare maius auro & pingendi arte pulcherimum, opus certè rarum in templo collocasti.. Aliud in Capella (quæ stellis inauratis aliisq; insignibus auro lucentibus hinc inde exornata magna cum delectatione animi conspicitur) non minori sumptu ædificasti. Organa corruptissima de integro renouasti, multaq; alia in honorem Dei & nostram omnium communem lætitiam, tuam verò æternam gloriam, digna Familia Zamosciadum fecisti, certam nobis spem relinquens se multo maiora & præstantiora relicturum. His ego prouocatus beneficiis ad manifestandum grati animi argumentum, hanc oratiunculam supplex offero. Tertia ratio est. Dotes animi tui singulares, siquidem liber in lucem edendus si fuerit oblatus alicui viro doctrina excellenti prædito, magnā inde haurit sui commendationem, cum quisq; existimet opus à docto viro receptum habere aliquid

 in se

in se suauitatis & dulcedinis. Dotes igitur animi tui quis dignè enumerabit. Tacitus prætereo Illustr. D.V. in Deum amorem quem in frequentissima sacrosanctæ Missæ celebratione manifestus. Omitto liberalitatē in pauperis. Norunt Ordines mendicantium quam larga per te tribuatur illis eleemosyna, ipsi laudent & prædicent. Admiror tantummodo tuam sapientiam, quam in exteris nationibus magno studio & labore acquisiuisti. Admiror te in Senatu prudentissimum & doctissimum. In Ecclesia religiosissimum, in domo liberalissimum, vbiq; grauissimum & modestissimum. Admiror in te nobilitatem sine macula, virtutem sine vitio, bonitatem sine malitia: Est igitur nobis Dominus Abbas nobilitate generis clarissimus, virtutum generi celeberrimus, dotibus animi præstantissimus. Tanto igitur & tam clarissimo Præsuli hoc munus exiguum offero, sperans in Domino Deo sub nomine tanti Domini magnā vbiq; locorum habiturum authoritatis prærogatiuam. Viue fælix & crescas in millia millium.

Pr. Stanislaus [redacted]

CONSTITVTIONES
COMITIORVM GENERALIVM
à S. Spiritu in Die Pentecoſten cum Apoſtolis celebratorum.

Erant omnes pariter in eodem loco. & factus eſt repente de cælo ſonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes. Act: 2.

HOdiernum S. Spiritus in Apoſtolos deſcenſum eſſe Comitia Generalia, neminem reperiri poſſe exiſtimo qui negare velit. Etenim ad comitia vti experimentis quotidianis cognitum habemus, omni ex parte magna hominum multitudo confluit. Idem verò accidiſſe in hodierno S.Spiritus aduentu attendite Act. 2, *Facta autem hac voce conuenit multitudo & mente confuſa eſt,* ergo &c. Adhæc in Comitiis adeſt Rex, qui Regni teneat gubernacula, adſunt & Senatores qui cum Rege de bono publico diſceptant. Rector & gubernator Eccleſiæ, quis alius niſi Spiritus ſanctus? Hinc rectè vocatur Cor Eccleſiæ, quoniam vt docet magnus Pater Iſidorus in Ethymologiis, Cor latinè dicitur à cura, nam inter humanæ vitæ inſtrumenta, & corporis membra ſollicitudine præſtat, omnibus & ſingulis noſtri corporis ſenſibus conſulens, quod Spiritui ſancto cōuenire nemo eſt qui ambigat. Myſtici enim huius corporis quod eſt Eccleſia, nullum eſt quantumuis minimum membrum, cuius ille curam (vt decet bonum Regem in Republica) non gerat. & proprio calore non foueat, omnem-

omnemq; curam circa promouendum Ecclesiæ bonum non adhibeat. Psal. 9. *Nec est qui se abscondat à calore eius.* Principes verò Ecclesiæ seu Senatores sunt Apostoli dicente Christo Domino. Matth. 5. *Vos estis sal terræ, vos estis lumen mundi*, ac si diceret, vos estis præcipua capita Gentium omnium, Principesque huius mundi. Erant ergo pariter Senatores cum Rege in eodem loco, Comitia ergo esse illam congregationem sit necesse. Præterea ad comitia ex variis Gentibus aduolant Legati in negotijs Regum suorum. Hos quoque fuisse congregatos pro aduentu S. Spiritus, ergo comitia esse illum aduentum in promptu est. Acto. 2. *Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphiliam, Ægyptum & partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenen, & aduenæ Romani. Iudæi quoque & Proselyti. Cretes, & Arabes, audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.* O celeberrima comitia, ad quæ tam copiosa legatorum multitudo, ex omni mundi angulo conuenerat. Ad extremum In comitiis, iura, variæque Cōstitutiones decernuntur. Sed & in hoc aduentu sancto sunt quædam generi humano vtilissimæ Constitutiones sancitæ. Attendite.

Aue Maria.

CONgregatis ad Comitia cum Rege Senatoribus, fit Propositio seu Oratio de rebus in illo Conuentu tractandis, siue ab ipso Rege, siue etiam ab eius Cancellario, qua absoluta, sententiisque omnium auditis decernuntur quæq; Reipublicæ vtilissima. Qualis verò S. Spiritus Propositio fuerit, quam vel per se inspiratione interna, vel per illas linguas igneas, (quomodo enim nihil locutus credetur qui in ardentibus linguis descendisse perhibetur?) ad corda Apostolorum pertulit, quasuè sanctiones decreuit facile intelligere poteritis, cùm Rubum ardentem videritis, verbaq; in illo ad Moysem prolata audieritis, sunt verba sacræ Scripturæ. *Apparuit*

Moysi

Moysi Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat quod rubus arderet, & non combureretur, &c. Simili modo Spiritus sanctus Apparuit Apostolis. Act. 2. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquã ignis, seditq́ super singulos eorũ.* Verba ad Moysen à Domino in illa flamma existente sunt hæc. *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, &c. Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum qui præsunt operibus, & sciens dolorem eius descendi vt liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonã & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle.* Non dispari ratione S. Spiritus locutus est ad corda Apostolorum dicens. *Ego sum promißio Patris, quam audistis per os Christi, quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.* Ego sum de quo Christus dixit. Ioan. 16. *Expedit vobis vt ego vadam, si enim non abiero paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos, &c. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, &c.* Clamor vester peruenit ad me, quippe *Omnes eratis perseuerantes in Oratione cum Maria matre Iesu & Fratribus eius.* Vidique afflictionem vestram, *nam fores vestræ sunt clausæ vbi estis congregati propter metum Iudæorum.* veni ergo vt liberem vos, cæterosque omnes, vos quidem ab hac trepidatione alios verò è seruitute Ægyptiaca, qua premuntur à malis dæmonibus.

Propositio S. Spiritus. Acto. 2.

Dixit Dominus ad Moysen.

Sed veni & mittam te ad Pharaonem vt educas populum meum filios Israel de Ægypto Non diuersus sermo S. Spiritus ad Apostolos erat, Credo visum fuisse verbis Christi. Matth. 10. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum, estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* & Marc vlt. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangeliũ omni creaturæ dicentes: Quia appropinquauit Regnum cælorum.*

Matth. 1.

Dixit

Dixit Moyses ad Dominum.

Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto. Obsecro Domine non sum eloquens, mitte quem missurus es, nam impeditioris & tardioris linguæ ego sum. Stupendam in hoc sancto viro humilitatem, quam abfuisse à cordibus Apostolorum (qui toties audiebant magistrum suum Christum Dominum dicentem: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde*) credibile non est. Sed corde humili alloquebantur Spiritum S. Quis sumus nos? aut quod genus nostrum?

1. Cor. 4. Nos homines despecti *tanquam morti destinati. Nos stulti, at illi ad quos mittimur sunt prudentes, nos infirmi illi fortes, illi nobiles, nos ignobiles.*

Ait Dominus ad Moysen.

Ego ero tecum. Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum & surdum? videntem & cæcum? nonne ego? Perge igitur & ego ero in ore tuo, doceboq; quid loquaris.

S. Spiritus dicebat Apostolis.

Matth. 10. *Tradent vos in Conciliis & in Synagogis suis flagellabunt vos, & ad Præsides & ad Reges ducemini propter me in testimoniū illis & gentibus. Cùm autem tradent vos nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: nō enim vos estis qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

&

Marc. 13.

Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini, id quod datum vobis fuerit in illa hora. id loquimini, non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus.

&

Luc. 12.

Cùm autem inducent vos in synagogas, & ad Magistratus & potestates

testates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere.

Respondens Moyses ait.

Non credent mihi neq; audient vocem meam & ecce iubente Domino ex virga fit serpens, & iterum ex serpente virga. Manus quoq; in sinum missa lepra deturpata est, retracta iterum in sinum facta est similis carni reliquæ: Quo facto Dominus Moysi contulit miraculorum patrandorum gratiam, vt per eam in omnibus fides habeatur Moysi, ipso Domino dicente *Si non crediderint, inquit, tibi neque audierint sermonem signi prioris credent verbo signi sequentis.* Exod.

S. Spiritus dicebat verba Christi, Matth. 10. ad Apostolos.

Euntes prædicate, Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, gratis accepistis, gratis date. Signa quoq; eos qui crediderint hæc sequentur In nomine meo dæmonia eijcient. Linguis loquentur nouis, serpentes tollent, etsi mortiferum quid biberint non eis nocebit, super ægros manus imponent & bene habebunt. Quibus signis visis credent sermonibus vestris, & cuilibet vestrum dicetur Ioan. 3. *Rabbi scimus quia à Deo venisti Magister, nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis nisi fuerit Deus cum eo.* Marc. vlt.

His sententiis absolutis ventum est ad decernendas constitutiones, quarum

Prima hæc est.

Pharao Infernalis, Princeps huius mundi, in seruitute peccati, tenens ferè vniuersum populum, omnino foras proijciatur, & in mari rubro sanguinis Christi submergatur.

Dixit Deus ad Moysen.

Sed ego scio quòd non dimittet vos Rex Ægypti, vt eatis nisi per manum validam.

 S. Spi-

Et quoniam teterrimus dæmon omnem mouebit lapidem, vt populum vniuersum in sua seruitute retineat, persecutiones excitabit, in vos consurget, multorum sanguinem effundet, multos per suos ministros trucidabit, omni vi doctrinæ vestrę repugnabit. Idcirco superandus vobis est in manu valida, ad quod feliciter peragendum concedendum vobis est cæleste tributum, vt & concedo, nempè donum fortitudinis, dixit Spiritus S. ad quemlibet Apostolorum. Ezech. 2. *Mitto te ad gentes Apostatrices quæ recesserunt à me, &c. Ne timeas eos neque sermones eorum metuas, quoniam increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas, verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides. Ecce dedi faciem tuam valentiorem frontibus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, vt adamantem & vt silicem dedi faciem tuam, ne timeas eos, neque metuas à facie eorum.* O admirabile tributum. Hoc accepto S. Petrus Apostolus: Christum quem prius negarat fortiter prædicat. Nihil fuit Petro timidius, qui ad vnius ancillæ vocem expauit. Sed postquam dono fortitudinis per Spiritum S. corroboratus est. Petro quid fortius. Iubetur à Senatu Ierosolimitano tacere, prohibetur Christum crucifixum prædicare, insuper ad verba adduntur minæ & verbera, at Acto. 4. ille Christi Athleta. attendite quid dicat: *Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum iudicate.* Et qui relicto Iesu in horto fugerunt, accepto Spiritu S. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij quia digni habiti sunt contumeliam* Test Aul. Gel. lib 2. c. 22. *pati pro nomine Iesu.* Ventus circius armatum hominem, plaustrum oneratum procellit, equitantem è sella abripit, impedit omnem plantam ne crescat, hominem cataphractum perfacile Olaus l. 7. c. 5. prosternit, nulloque negotio perinde ac rem leuem. In tartarorum etiam regionibus, ventos æstate media adeo inualescere, vt iis flantibus æquitare sit impossibile, equitantes enim abripiunt & prosternunt. De Circij viribus adhuc

additur, quod murorum atque Ecclesiarum tecta, etiam plumbea, ingentes quoque trabes extracta longissimè transferat, quin & ipsa molendina cum molari ipso lapide, totoq; tecto inclusis etiam hominibus & ipsis illæsis procul asportet, oppida destruens, & quod videtur incredibile, in mari sub nauibus aquam, quadam ratione conturbat atque ab aquis ipsis nauem extrahit, & in sublime attolit, & deinde remittit. Magna vis huius venti. Sed maior Spiritus sancti. Quæro ego quis illos crudelissimos Cæsares, errorum tenebris inuolutos, & contra Christianam fidem extirpandam expeditos superauit? Spiritus sanctus diffusa in Apostolorum corda cælesti fortitudine. Quis illam vim Ethnicorum aduersus Christianam doctrinam vehementer militantem depressit? S. Spiritus fortitudo: *Repente ventus vehemens irruit, & concußit quatuor angulos domus Idolorum quæ corruẽs oppreßit multos Tyrannos.* Hoc dono olim illustrata fuit B. Cæcilia virgo Romana, quæ cum Valeriano & iuueni, & cupido desponsata esset inuita, & iam thalamum cum sponso ingressa, de fide Christi & castitate disserens, non modo Valerianum à vi inferenda cohibuit, dum solidis argumentis castitatem matrimonio sanctiorem esse ostedit, verùm etiam Tiburtium sponsi fratrem ad Christianam religionem amplectendam compulit. O admirandam etiam in virginibus Sancti Spiritus cõtra debellandum malum dæmonem, fortitudinem.

Altera Constitutio hæc est.

Homines ad imaginem & similitudinem Dei creati, è seruitute diabolica, in libertatem filiorum euocentur.

Dixit Dominus ad Moysen.

Sed veni & mittam te, vt educas populum meum, filios Israel de Ægypto.

 Spiritus

Spiritus S. dicebat ad Apoſtolos. *Luc.* 4.

Spiritus Domini ſuper vos, propter quod miſit vos euangelizare pauperibus, ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſsionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſsionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Mitto inquam vos vt annuncietis quod viderunt oculi veſtri ſalutare Dei, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſrael, quod vt fæliciter in Domino præſtare poſſitis, tribuo vobis donum ſapientiæ & ſcientiæ, vt omnium cognitis linguis, omnes ad vnum verum Deum trahatis. Sic enim vobis promiſerat Chriſtus Dominus dicens: *Mittam vobis paraclitum qui cùm venerit docebit vos omnia, & docebit vos omnem veritatem.* Accidit id hodierna die Apoſtolis, quod olim accidiſſe Ezechieli Prophetæ legimus, in hæc verba de ſeipſo dicenti. cap. 2. *Et vidi & ecce manus miſſa ad me, in qua erat inuolutus liber, & expandit illum coram me, qui erat ſcriptus intus & foris. Et dixit ad me: Fili hominis quodcunque inueneris comede, comede volumen iſtud. Et aperui os meum, & cibauit me volumine iſto, & dixit ad me: Fili hominis venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur volumine iſto, quod ego do tibi. Et comedi illud, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce. Et dixit ad me: Fili hominis vade ad domum Iſrael, & loqueris verba mea ad eos.* Hoc modo die hodierna dedit Spiritus S. Apoſtolis librum intus & foris ſcriptum, id eſt omnium rerum cognitionem, quæ ſenſu exteriori, & intellectu interiori percipi poſſunt, dedit inquam illis donum ſapientiæ & ſcientiæ, & aperuit os eorum in medio populi, Hier. 1. fecitque infantum diſertas eſſe linguas. Olim Hieremias ad Dominum dixit: *A a a. Domine Deus ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere quia puer ego ſum. Et dixit Dominus ad me: Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum ſum vt eruam te dicit Dominus. Et miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum, & dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea*

ba mea in ore tuo , ecce constitui te super gentes & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, ædifices, & plantes. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam. En quomodo Dominus soleat verba sua ponere in ore seruorum suorum. Certè mirabilis Dominus, qui sine vllo negotio etiam ex stultissimis sapientissimos efficere potest doctores. Hoc sapientiæ dono exornatus fuit B. Antonius Magnus de quo sic Diuus Athanasius. Erat inquit valde sapiens, & hoc in se mirabile habebat, quia cum literas non didicisset, ingeniosissimus & prudentissimus, immobilis & mansuetus erat. Aliquando enim Philosophi duo Gentiles venerunt ad eum, putantes Antonium se posse decipere, erat vero in superiori monte, quos cùm vidisset Paganos esse intellexit ex vultu, & procedens ad eos per interpretem ita cæpit loqui. *Quare vt tam longè ad stultum hominem venirent, sapientes se vexare voluerunt? Illis dicentibus non esse illum stultum, sed & nimium sapientem, vigilanter respondit. Si ad stultum venistis, superfluus est labor vester, si autem putatis me sapientem esse, & sapientiam habere, bonum est: imitamini quod probatis, quia bona conuenit imitari. Si ego ad vos venissem vos imitarer, sed quia vos ad me quasi ad sapientem venistis, estote sicut ego sum Christiani.* Accesserunt Philosophi, vtrumque mirantes & accumen ingenij & dæmonum expulsiones. Quippe elegit Deus contempla mundi, vt confundat sublimia & per piscatorum simplicitatem voluit confundere ingeniorum subtilium dexteritatem. Sed nos conferamus ad videndam tertiam Constitutionem. *Quæ talis est Haruspices, Magi, malefici, Inanes & iactabundi Philosophi confutentur, eorumque falsitas; & doctrinæ Christianæ veritas ostendatur.*

Exod: 7.

Tulitq; Aaron virgam coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in colubrum: Vocauit autem Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam si-

dam similiter. Proieceruntquè singuli virgas suas quæ versæ sunt in Dracones, sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. Maxima impedimenta in sua prædicatione habituri erant Apostoli, à Magis, vt in Simone mago repugnanti, in omnibus, Diuo Petro experimentis cognitum est, & à Philosophis, qui suis ænigmatibus & fallaciis eludere volebant vera dogmata Christiana, & à maleficis qui ab Apostolis patrata miracula calumniabantur. Sed virtus Apostolorum deuorauit virtutem eorum, & ad hoc feliciter præstandum, dedit illis Spiritus S. donum intellectus & consilij dicens: *Estote prudentes sicut serpentes.* Aperuitque illis sensum, vt intelligerent scripturas, quibus exploderēt vanas inimicorum adinuentiones. *Quarta constitutio hæc est, vniuersus populus ad cultum veri Dei, eiq; soli sacrificia offerenda omnino reducatur.*

Dixit Dominus ad Moysen.

Ingrederis ad Regem Ægypti & dices ad eum. Dominus Deus Hebræorum vocauit nos, ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt immolemus Domino Deo nostro.

Dicebat S. Spiritus Apostolis.

Ite in vniuersum orbem, & reducite perditas oues ad vnum ouile Christi, & vt possitis perfectè instruere homines, ad debitè Deo reddēdum cultum. Datur vobis à me donum timoris & pietatis, iuxta verba Dauidis, *Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore.*

Dixit Dominus ad Moysen *Exo. 19.*

Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras lauentq; vestimenta sua. Et sint parati in diem tertium, &c.

S. Spiritus Apostolis.

Ite baptizantes eos & docentes omnia quæ præcepta sunt vobis, vt cum timore operentur salutem suam.

Conclu-

Conclusio Comitiorum.

Dixit Dominus ad Moysen:

Descendi vt liberem eum de manibus Ægyptiornm, & educam de terra illa in terram bonam & spatiosam, quæ fluit lacte & melle.

S. Spiritus ad Apostolos. *Marc. vlt.*

Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit.

Quod præstare nobis dignetur Trinus & vnus Deus, Amen.